

CONCOURS GÉNÉRAL DES LYCÉES

SESSION DE 2003

VERSION LATINE

(Classes de Première ES, L et S)

DURÉE : 4 heures

L'usage du dictionnaire est autorisé

Badinage épistolaire

*Réclamation**(A Fabius Justus)*C. PLINIUS FABIO IVSTO SVO S. ⁽¹⁾

Olim mihi nullas epistulas mittis. Nihil est, inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe, nihil esse quod scribas ; uel solum illud unde incipere priores solebant : « Si uales, bene est ; ego ualeo. » Hoc mihi sufficit ; est enim maximum. Ludere me putas ? serio peto. Fac sciam quid agas, quod sine sollicitudine summa nescire non possum. Vale.

*Menace de brouille**(A Paulinus)*C. PLINIUS PAVLINO SVO S. ⁽¹⁾

Irascor, nec liquet mihi an debeam, sed irascor. Scis quam sit amor iniquus interdum, impotens saepe, μικραίτιος ⁽²⁾ semper. Haec tamen causa magna est, nescio an iusta ; sed ego, tamquam non minus iusta quam magna sit, grauiter irascor quod a te tam diu litterae nullae. Exorare me potes uno modo, si nunc saltem plurimas et longissimas miseris. Haec mihi sola excusatio uera, ceterae falsae uidebuntur. Non sum auditurus « non enim eram Romae » uel « occupator eram » ; illud enim nec di sinant, ut « infirmior ». Ipse ad uillam partim studiis partim desidia fruor, quorum utrumque ex otio nascitur. Vale.

Pline le Jeune, *Lettres*, I, 11 et II, 2.

Notes :

(1) traduire l'en-tête

(2) traduire cet adjectif grec par « susceptible » ou « ombrageux »

CONCOURS GÉNÉRAL DES LYCÉES

SESSION DE 2004

VERSION LATINE

(Classes de Première ES, L et S)

DURÉE : 4 heures

*L'usage du dictionnaire est autorisé**Le narrateur évoque sa rencontre avec un étrange personnage*

Un poète famélique

[...] intrait pinacothecam senex canus, exercitati uultus et qui uideretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde speciosus, ut facile appareret eum ex hac nota litteratorum esse, quos odisse diuites solent. Is ergo ad latus constitit meum.

« Ego, inquit, poeta sum et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet. “Quare ergo, inquis, tam male uestitus es?” – Propter hoc ipsum. Amor ingenii neminem unquam diuitem fecit.

*Qui pelago credit, magno se fenore tollit ;
qui pugnas et castra petit, praecingitur auro ;
uilis adulator picto iacet ebrius ostro,
et qui sollicitat nuptas, ad praemia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pannis,
atque inopi lingua desertas inuocat artes.*

Non dubie ita est : si quis uitiorum omnium inimicus rectum iter uitae coepit insistere, primum propter morum differentiam odium habet : quis enim potest probare diuersa ? Deinde qui solas exstruere diuitias curant, nihil uolunt inter homines melius credi, quam quod ipsi tenent. »

Pétrone, *Le Satiricon*, LXXXIII-LXXXIV

CONCOURS GÉNÉRAL DES LYCÉES

SESSION DE 2005

VERSION LATINE

(Classes de Premières ES, L et S)

DURÉE : 4 heures

L'usage du dictionnaire est autorisé

Devoirs des gouvernants

Qui rei publicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant, unum, ut utilitatem ciuium sic tueantur, ut, quaecumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum ; alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio rei publicae ad eorum utilitatem qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti ciuium consulunt, partem neglegunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem atque discordiam ; ex quo euenit ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque uideantur, pauci uniuersorum. Hinc apud Athenienses magnae discordiae, in nostra re publica non solum seditiones, sed etiam pestifera bella ciuilia ; quae grauis et fortis ciuis et in re publica dignus principatu fugiet atque oderit tradetque se totum rei publicae neque opes aut potentiam consecrabitur totamque eam sic tuebitur ut omnibus consulat ; nec uero criminibus falsis in odium aut inuidiam quemquam uocabit omninoque ita iustitiae honestatique adhaerescet ut, dum ea conseruet, quamuis grauiter offendat mortemque oppetat potius quam deserat illa quae dixi.

Cicéron, *De Officiis*, XXV, 85-86